

matris, nec ejus quæ peperit aliquem. Et tamen quid ei dicitur? « Dicent, inquit, in auribus tuis filii tui, quos » amiseras: Angustia nobis est in isto loco, facite itaque » nobis et nunc locum in quo commoremur. Tu vero dicis in corde tuo: Quis generavit mihi istos, cum sciam » me esse sine filiis et viduam? Quis ergo istos educavit » mihi? Ego enim derelicta fui sola, hi autem mihi ubi » erant¹? » Ex ea ergo parte ista dicit Ecclesia, qua videtur nihil parere in istis turbis, quæ non dimiserunt omnia ut sequerentur Dominum, et sederent super duodecim thronos². Sed quam multi in eadem turba facientes sibi amicos de mammona iniquitatis³, per opera misericordiæ ad dexteram stabunt? Non solum ergo erigit de stercore, quem collocet cum principibus populi sui: sed etiam: « Habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem⁴. Qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra, » semen Abraham sicut stellas cœli, sanctitatem sublimem in supernis sedibus collocatam, et sicut arenam in ora maris, misericordem atque innumeram multitudinem a sinistris fluctibus atque amaritudine impia segregatam.

¹ Isai. xlix, 20, 21. — ² Matth. xix, 28. — ³ Luc. xvi, 8. — ⁴ Psal. cxii, 9.

ENARRATIO I

IN PSALMUM CXIII.

SERMO I.

De prima parte Psalmi.

I. LEGIMUS quidem, notissimumque retinemus, dilectissimi fratres, quod narratur in libro Exodi, populum Israël liberatum ab iniqua dominatione Ægyptiorum inter divisos fluctus maris transisse per siccum¹: Jordanem quoque fluvium², cum per eum in terram promissionis intrarent, tactum pedibus sacerdotum arcam Domini portantium, stetisse desuper infrenato lapsu; ab inferiore autem parte defluxisse, quod currebat in mare, donec in sicco stantibus sacerdotibus transiret populus universus: novimus hæc, nec tamen arbitrari nos oportet in hoc Psalmo, cui nunc « Alleluia » pronuntiato cantatoque respondimus, id agere Spiritum sanctum, ut præterita illa gesta recolentes, nequaquam futura talia cogitemus. « Illa enim, sicut dicit Apostolus, in figura continentur » gebant illis, scripta sunt autem ad correptionem » nostram, in quos finis sæculorum obvenit³. » Cum igitur audimus in Psalmo: « In exitu Israël de Ægypto, » domus Jacob de populo barbaro, facta est Judæa » sanctificatio ejus, Israël potestas ejus; mare vidit et

¹ Exod. xiv, 12. — ² Josué iii, 15-17. — ³ I Cor. x, 11.

» fugit, Jordanis conversus est retrorsum¹ : » ne arbitramini nobis narrari præterita, sed potius futura prædici : quia illa quoque miracula cum in illo populo fierent, præsentia quidem, sed non sine futurorum significatione gerebantur. Ideoque ut ostenderet, qui psallendo ista prædicebat, eadem se verbis agere, quæ illic factis agebantur, uno eodemque Spiritu operante et illa facta et hæc dicta, ut id quod in fine sæculorum manifestandum reservabatur, figuris rerum atque verborum præcurrentibus nuntiaretur; non omnino ea dixit quæ ibi gesta sunt, sed aliter quædam quam illic lecta didicimus : ne vere putaretur transacta recolere, potius quam ventura prædicere. Primo enim Jordanem ipsum non reversum esse retrorsum, sed stetisse legimus ab ea parte, qua aquæ desuper influebant, cum populus ille transiret. Deinde gestientes montes collesque non legimus, quæ sic addidit, ut etiam omnia ista repeteret. Nam cum dixisset : « Mare vidit et fugit, Jordanis conversus est retrorsum : » contexuit, « Montes gestierunt velut arietes, et colles velut agni ovium. » Eademque rursus interrogat : « Quid est tibi mare quod fugisti, et tu Jordanis quia conversus es retrorsum? Montes, quia gestiistis velut arietes, » et colles velut agni ovium² ? »

II. Attendamus ergo quid admoneamur : quia et illa facta figuræ nostræ fuerunt, et hæc dicta ut nos ipsos recognoscamus hortantur. Si enim gratiam Dei quæ data est nobis firmo corde retinemus, nos sumus Israël semen Abrahamæ : nobis dicit Apostolus : « Ergo semen Abrahamæ estis³. » Quia sicut alio loco dicit : « Non in circumcisione, sed in præputio deputata est Abrahamæ fides ad justitiam, et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut deputetur et illis

¹ Psal. cxiii, 2-3. — ² Ibid. 3-6. — ³ Gal. iii, 29.

» ad justitiam ; ut sit pater circumscisionis his, qui non solum ex circumscisione sunt, sed et his qui sequuntur » vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahamæ¹. » Non enim carnaliter circumscisæ genti tantummodo factus est pater, cui dictum est : « Patrem multarum gentium posui te. » Multarum autem, non quarundam, sed omnium ; quod aperte dicitur, cum ei dicitur : Et benedicentur in te omnes gentes². » Nullus itaque Christianorum se a nomine Israël arbitretur extraneum. Illis enim qui crediderunt ex Judæis, in quorum numero principaliter Apostolos invenimus, in angulari lapide copulamur. Hinc ait Dominus alio loco : « Habeo » alias oves, quæ non sunt de hoc ovili, oportet me et » illas adducere, ut sit unus grex et unus pastor³. » Populus ergo christianus magis Israël, et ipse potius domus Jacob. Idem quippe Israël qui Jacob. Illa vero turba Judæorum, quæ merito perfidiæ reprobata est, voluptate carnali vendidit primogenita sua, ut non ad Jacob, sed ad Esaü potius pertineret. Scitis namque in hoc mysterio dictum esse : « Quia major serviet minori⁴. »

III. Ægyptus autem, quoniam interpretatur afflictio, vel affligens, vel comprimens sæpe in imagine ponitur hujus sæculi : a quo spiritaliter recedendum est, ne simus jugum ducentes cum infidelibus⁵. Sic enim quisque Jerusalem cœlestis fit civis idoneus, cum primum huic sæculo renuntiaverit : quemadmodum ille populus in terram promissionis duci non potuit, nisi prius ab Ægypto recederet. Sed sicut ille non inde discessit, nisi divino liberatus auxilio : sic nemo corde ab hoc sæculo avertitur, nisi divinæ misericordiæ munere adjutus. Quod enim illic semel præfiguratum est, hoc in isto fine sæculi, in hac, sicut

¹ Rom. iv, 10-12. — ² Gen. xxii, 18. — ³ Joan. x, 16. — ⁴ Gen. xxv, 23 et 33, et Rom. ix, 13. — ⁵ 2 Cor. vi, 14.

beatus Joannes scribit, hora novissima¹, quotidianis Ecclesiae foelibus in unoquoque credente completur, audite Apostolum doctorem gentium docentem et instruentem : « Nolo enim vos, inquit, ignorare, fratres, quia omnes » patres nostri sub nube fuerunt, et omnes per mare » transierunt, et omnes in Moyse baptisati sunt in nube » et in mari, et omnes eundem cibum spiritalem man- » ducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem bibe- » runt. Bibebant enim de spiritali sequente petra : petra » autem erat Christus. Sed non in omnibus illis bene com- » placuit Deo : prostrati enim sunt in deserto. Haec autem » figuræ nostræ factæ sunt². » Quid vultis amplius, fra- » tres dilectissimi? Certe manifestum est non humana suspi- » cione, sed apostolico, id est, divino et dominico magis- » terio : Deus enim loquebatur in eis, et quamvis de carneis nubibus, tamen Dominus intonabat : certe ergo tanto tes- » timonio manifestum est illa omnia figurate gesta, nunc in nostra salute compleri; quia tunc futura prænuntia- » bantur, nunc præterita leguntur, et præsentia cognos- » cuntur.

IV. Audite quod est mirabilius, librorum veterum sa- » cramenta occultata atque velata, nonnulla ex parte a » libris veteribus revelari. Nam Michæas propheta ita lo- » quitur : « Prout dies, inquit, profectionis eorum ex » Ægypto, ostendam mirabilia illis. Videbunt nationes, » et confundentur ab omni vigore eorum : manibus ora » sua obstruent, aures illis obsurdabuntur, delingentes ter- » ram, velut serpentes trahentes terram : conturbabuntur » de conclusionibus eorum, in Domino Deo nostro exci- » dent mente, et terrebuntur a te. Quis Deo tuo similis » auferens iniquitatem, et transgrediens impietatem re- » siduis hæreditatis tuæ? Et non continuit in testimonium

¹ 1 Joan. II, 18. — ² 1 Cor. X, 1-6.

» iram suam, quoniam voluntarius et misericors est, ipse » convertet et miserebitur nostri, demerget delicta nostra, » demerget in maris profundum omnes culpas nostras¹. » Nempe advertitis, fratres, manifestius hic aperiri sacro- » sancta mysteria. In hoc ergo Psalmo quamvis futura in- » tueatur mirabilis prophetiæ Spiritus, tamen videtur velut » transacta narrare. « Facta est, inquit, Judæa sanctificatio » ejus : mare vidit et fugit. » Et facta est, et vidit, et fugit, » præteriti temporis verba sunt. Et conversus est Jordanis, » et gestierunt montes, et commota est terra, eodem modo » præteritum sonant; sine præjudicio tamen intelligendi » futura. Alioquin contra evangelicum testimonium cogi- » mur etiam illa non de futuro prænuntiata, sed de præte- » rito commemorata, intelligere : « Diviserunt sibi vesti- » » menta mea, et super vestimentum meum miserunt » » sortem². » Quæ quamvis verbis præteriti temporis dicta » sint, id tamen prænuntiabant, quod tanto post futurum » in passione Domini compleretur. Sed tamen, dilectissimi, » Propheta iste quem commemoravi, etiam grossa corda » limavit, et ad intelligenda de præteritis rebus gestis futura » incunctanter extendit; ut non solum apostolica auctori- » tate figuras nostras illas fuisse credamus, sed nec ab ipsis » Prophetis hoc prætermissum esse, ut etiam eorum eloquio » pandente, videntes atque gaudentes, certi ac securi, de » thesauro Dei et nova et vetera concorditer sibimet cohæ- » rentia proferamus. Cum enim tanto post egressum populi » illius ex Ægypto, et tanto ante ista Ecclesiae tempora hæc » quæ commemoravi, cecinerit; tamen se futura prædicere » sine ulla dubitatione testatur. « Secundum dies, inquit, » » profectionis eorum ex Ægypto, ostendam mirabilia illis. » » Videbunt nationes, et confundentur. » Hoc est quod

¹ Mich. VII, 15-19. — ² Psal. XXI, 19.

hic dictum est, « Mare vidit, et fugit. » Si enim hic per verba præteriti temporis, sicut est, vidit, et fugit, occulte futura prædicantur: Videbunt certe et confundentur, quando futuri temporis verba sunt, quis audeat de rebus præteritis cogitare? Et paulo post, ipsos hostes nostros, qui nos fugientes ut interimerent sequebantur, id est, delicta nostra, sicut Ægyptios in mari obrutos, ita in baptismo demersa et extincta luce clarius intimat, dicens: « Quoniam voluntarius et misericors est, ipse convertet » et miserebitur nostri, demerget delicta nostra, demerget in maris profundum omnes culpas nostras. »

V. Quid est, charissimi? Qui vos cognoscitis Israëlitas secundum semen Abrahæ, qui estis domus Jacob secundum promissionem hæredes, cognoscite etiam vos exiisse ab Ægypto, qui huic sæculo renuntiastis; exiisse de populo barbaro, qui confessione pietatis vos a blasphemis gentium sejunxistis. Non est enim lingua vestra, sed barbara, quæ Deum laudare non novit, cui vos cantatis Alleluia, facta est enim Judæa sanctificatio ejus in vobis. « Non enim qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio: sed qui in occulto Judæus est, et circumcisio cordis¹. » Interrogate ergo corda vestra: si ea circumcidit fides, si purgavit confessio, in vobis facta est Judæa sanctificatio ejus, in vobis Israël potestas ejus. Dedit enim vobis potestatem filios Dei fieri².

VI. Jamvero recordetur unusquisque vestrum, cum Deo vellet cor applicare, ejusque suavi jugo, recedens a pristinis ignorantiae suæ desideriiis, devotum animum subdere, carnalibusque hujus mundi factis, (in quibus sine fructu laborabat, tanquam in Ægypto lateres sub dura dominatione diaboli faceret), audita voce Domini dicentis, « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et

¹ Rom. ii, 28, 29. — ² Joan. i, 12.

» ego vos reficiam¹, » desertis atque abjectis sub levem Christi sarcinam currere: recordetur ergo unusquisque vestrum quemadmodum omnia sæcularia impedimenta cesserunt, dissuadentium voces aut erumpere non ausæ sunt, aut considerato Christi nomine per omnes terras exaltato et honorato tremefactæ siluerunt. Ergo, « Mare » vidit et fugit, » ut tibi sine contradictione ad libertatem spiritalem panderetur via.

VII. Jordanis autem quemadmodum retrorsum conversus sit, nolo extra vos quæritis, nolo aliquid mali suspicemini. Increpat enim Dominus quosdam qui dorsum ad eum posuerunt, et non faciem². Et quisquis principium suum deserit, et a suo Creatore avertitur, tanquam fluvius in mare, labitur in hujus sæculi amaricantem malitiam. Bonum ergo est illi, ut retrorsum convertatur, fiatque illi Deus ante faciem redeunti, quem sibi a tergo posuerat, et fiat illi retro mare hujus sæculi, quod sibi ante faciem, cum illuc laberetur, effecerat; et sic obliviscatur ea quæ retro sunt, ut in ea quæ ante sunt extendatur³: quod jam converso utile est. Namque antequam convertatur, si ea quæ retro sunt obliviscitur, Deum obliviscitur; quia ipsum retro fecerat, ad quem dorsum posuerat: et si in ea quæ ante sunt extenditur, in sæculum extenditur; quia ipsum sibi ante faciem posuerat, quo avidus irruebat. Jordanis ergo illos significat, qui gratiam baptismi perceperunt: et sic Jordanis convertitur retrorsum, cum illi convertuntur ad Deum, ut eum jam retro non habeant, sed revelata facie gloriam Domini specularantes, in eandem imaginem transformentur a gloria in gloriam⁴.

VIII. « Montes gestierunt velut arietes: » fideles dispensatores verbi veritatis sancti Apostoli, sancti Evan-

¹ Matth. xi, 28. — ² Jerem. ii, 27. — ³ Philip. iii, 13. — ⁴ 2 Cor. iii, 18.

gellii prædicatores. « Et colles velut agni ovium¹. » Hi sunt quibus dicitur : « In Christo Jesu per Evangelium » ego vos genui. » Hi sunt quibus dicitur : « Non ut con- » fundam vōs, hæc scribo, sed ut filios meos charissi- » mos moneo². » Hi sunt de quibus dicitur : « Afferte » Domino filios arietum³. » Attendite per omnes terras, qui nostis ista mirari, et gaudere atque cantare Domino Deo vestro : attendite ista compleri per omnes gentes, quæ ante tam longa tempora figurate gesta atque prædicta sunt.

IX. Interrogate et dicite : « Quid est tibi, mare, quod » fugisti, et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum : » montes, quia gestiistis velut arietes ; et colles, sicut agni » ovium⁴? » Quid est, o sæculum! quod tua impedimenta cesserunt? Quid est, o tot millia toto orbe fidelium! huic mundo renuntiantium, quod ad vestrum Dominum convertimini? Quid est quod gaudetis, quibus in fine dicitur : « Euge! bone serve, quoniam in paucis fidelis fuisti, su- » pra multa te constituam⁵? » Quid est quod gaudetis, quibus in fine dicitur : « Venite, benedicti Patris mei, » percipite regnum quod vobis paratum est ab origine » mundi⁶? »

X. Respondebunt vobis hæc omnia, vosque ipsi respondebitis vobis : « A facie Domini commota est terra, a » facie Dei Jacob⁷. » Quid est, « A facie Domini ; » nisi ejus præsentia, qui dixit : « Ecce ego vobiscum sum usque » in consummationem sæculi⁸? Commota est enim terra : sed quia male pigra remanserat, commota est, ut solidius firmaretur a facie Domini.

XI. « Qui convertit petram in stagna aquarum, et ru-

¹ Psal. cxiii, 4. — ² 1 Cor. iv, 14, 15. — ³ Psal. xxviii, 8. — ⁴ Id. cxiii, 5, 6. — ⁵ Math. xxv, 21. — ⁶ Ibid. 34. — ⁷ Psal. cxiii, 7. — ⁸ Math. xxviii, 20.

» pem in fontes aquarum¹. » Se ipsum enim et quamdam suam duritiam liquefecit ad irrigandos fideles suos, ut fieret in eis fons aquæ salientis in vitam æternam² : quia prius cum ignoraretur, durus videbatur. Inde illi turbati sunt, et non expectaverunt, donec Scripturis apertis influeret atque inundaret in eos, qui dixerunt : « Durus est » hic sermo, quis potest eum audire³? » Ista petra, ista duritia conversa est in stagna aquarum; et ista rupes in fontes aquarum, cum resurgens exposuit eis, incipiens a Moyse per omnes Prophetas, quia sic oportebat Christum pati⁴; et misit Spiritum sanctum, de quo dicebat : « Si » quis sitit, veniat et bibat⁵. »

ENARRATIO

IN PSALMUM CXIII ALTERUM.

XII. « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo » da gloriam⁶. » Gratia quippe ista erumpentis aquæ de petra (« Petra autem erat Christus⁷ »), non quasi operibus præcedentibus data est, sed miserante illo qui justificat impium⁸. Etenim Christus pro impiis mortuus est⁹, ne ullam suam homines, sed nominis Dei quærerent gloriam.

XIII. « Super misericordia tua, inquit, et veritate tua. » Hæc duo misericordiam et veritatem, advertite in sanctis Scripturis quam sibi sæpe jungantur. In sua quippe misericordia vocavit impios, et in veritate judicat eos qui vocati venire noluerunt. « Nequando dicant Gentes: Ubi est

¹ Psal. cxiii, 8. — ² Joan. iv, 14. — ³ Id. vi, 61. — ⁴ Luc. xxiv, 26, 27. — ⁵ Joan. vii, 37. — ⁶ Psal. secund. ciii, 1. — ⁷ Cor. x, 4. — ⁸ Rom. iv, 5. — ⁹ Id. v, 6.